

2
V316

JOANNES COLETVS DECANVS SANCTI
PAVLI GVLIELMO LILIO, AD DI-
VVM PAVLVM LVDI MODE-
RATORI PRIMARIO. S. D.



AUD aliter mihi uideor affectus in nouā
hanc Scholam nostrā, Lili charissime, quā
in unicum filium pater, in quem non solū
gaudet uniuersam suam substātiā trans-
fundere, uerum etiam sua uiscera, si liceat, cupit impar-
tiri. Nam ut huic est parum genuisse, nisi eundem dili-
genti educatione ad bonā frugem prouexerit, ita meo
animo non satis est, quod ludum hunc institui, hoc est,
genui, quodq; insumpto patrimonio uniuerso, uiuus
etiam ac superstes solidam hæreditatem cessi, nisi mo-
dis omnibus dem operam, ut pijs moribus & bonis li-
teris diligenter educatus, ad maturam frugem adole-
scat. Proinde libellum hunc de constructione octo par-
tium orationis, ad te mitto, pusillum quidem, sed non
pusillum utilitatis allaturum nostræ pubi, si diligen-
ter abs te fuerit traditus. Scis in præceptis breuitatem
placere Flacco, cuius sententiam & ipse uehementer ap-
probo. Porro, si qua præterea erūt digna cognitu, tua-
rum partium erit, ut incident, in prælegendis autori-
bus adnotare.

Bene Vale. Domi nostræ.
M. D. XIII.